

totum sunt sal pro quo sale accipiendo omnes circumstantes a xxx dietis accedunt.  
est e[n]i[m] melior qui reperiatur in mundo. set tam durus quod ex eo nisi cum  
piconibus [non] potest toli. ibique in tanta copia reperitur. quod vniuersus mundus <sup>12v°</sup>  
ad sui usum inde uberius fulciretur aliqui uero montes sunt habundantes in  
amigdal & pistachis ex quibus forum maximum inde habetur in hijs etiam  
contratibus habitationes multe sunt habundantes in fructibus bladis & uineis  
*Macometi legem obseruant* habitantes uero legem machometi obseruant qui mortales sunt & perfidi & iniqui.  
multumque perseverant in potationibus quia bonum uinum habent coctum/ nec  
uestes alias ferunt nisi de bestiarum pelibus/ cum uero itur per tres dietas  
inuenitur quedam ciuitas nomine Scassembo que cuiusda[m] comitis est & alie sue  
ciuitates & castra in montibus sunt. per medium itaque ciuitatis istius quoddam  
flumen aliquantulum magnum decurit. sunt ibi multi porci spinosi apud quos  
dum uenator canes inuehit porcus totus in se glomeratur postmodum spinas que  
parum retinentur in pelle super dorssa canum proiciens & cum ipsis in pluribus  
locis uulnerans ipsos canes hic non sunt montes saxosi set de terra sunt

*Macometi legem obseruant* **B** alaxian est prouincia quedam gentes cuius macometi legem obseruant & per se  
loqulam habent magnum quidem regnum est per successionem hereditariam  
regitur que progenies a rege alexandro desendit & a filia regis darij magni  
persarum/ in ista prouincia nascuntur lapides preciosi qui balasi appellantur & in  
magnis nascuntur montibus/ Rex uero facit in isto monte fieri cauernas. quemad-  
modum fatiunt qui argentum fodiunt nec aliis terrigena uel forensis preter quam  
rex lapides istos audet in pena capitis & eris aliquo modo fodi facere uel cauari  
nisi de gratia speciali per ipsum regem concesum fuerit alicui & hoc facit quia <sup>13r°</sup>  
uult ut eius balasi propter honorem suum maioris ualoris sint & cariores habeantur  
ubique quia si quilibet ad libitum foderet & extra districtum portaret tanta copia  
ibi est quod fier[e]nt uiles nec tanti essent ualoris item hic inueniuntur montes  
in quibus sunt lapides de quibus fit a[ci]rum melius quod reperiatur in mundo/ sunt  
etiam ibi montes in quibus uene inueniuntur argentum ramum & plumbum  
producentes in maxima quantitate. frigida quidem prouincia est inueniebantur  
in hac prouincia equi qui desenderant a natura equi regis alexandri bucifalch nomine  
qui nascebantur omnes cornu habentes in fronte sicuti bucifalch. quia ab ipso equo  
eque conceperant set postea fuit destructa tota illorum natura./ habent  
frumentum bonum & ordeum nascitur ibi sine cortice videlicet quod totum est  
medulla nec remulle trahuntur ex eo/ quasi omnes uestiuntur corijs bestiarum.  
quia aliarum uestium caritudinem habent/ item proprietas montium talis est ipsi  
sunt altissimi ita quod de infimo ad sumum in itinere dura[t] homo a mane usque  
ad uesperas priusquam possit asendere in sumitate uero sunt planities magne ubi  
vbertas herbarum & arborum ubi fontes magni & purissimi qui tanquam flumina